DE ROMANA SANCTI PETRI CATHEDRA

ORATIO

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

CLEMENTEM XIII.

PONT. OPT. MAX.

HABITA IN SACROSANCTA BASILICA VATICANA

XV. KALENDAS FEBRUARII MDCCLXIX.



ROMÆ

TYPIS GENEROSI SALOMONI

PRÆSIDUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIII.

PONT. OPT. MAX.

PETRUS ANTONIUS ALBERICIUS

FELICITATEM.

SI Summi Sacerdotii majeſtas, atque amplitudo tanta ſemper, ac tam præclara habita eſt, ut vel ipſis gentium, & populorum domitori-

bus Alexandro Macedoni (1), & Attilæ Hunnorum Regi (2) ingentem ſui metum, & venerationem ingeſſerit; eadem profecto, BEATISSIME PATER, me potiori jure a propoſito Oratiunculam hanc Tuo ſacratiſſimo nomini nuncupandi deterrere debuiſſet. At quoniam Principes Viri iſtud ſibi ſemper laudi duxerunt, ut magnas res æque, ac parvas libenter acceptarent, non rei oblatæ pretium, ſed offerentis animum æſtimantes, hinc mihi tantum animi additum eſt, ut licet ſummam de excelſa, & auguſta dignitate Tua obſer-

(1) Joſephus lib.11. Antiq. (2) Baron. ad an.452.

obſervantiam, & venerationem habeam, abs Te tamen Oratiunculam hanc, ſi operam ſpectes, nullum, aut certe perexiguum, ſi virium, & animi conatum, munus maximum minime dedignandam ſperarem. Omiſſa enim loci magnitudine, ubi illam habui, a quonam alio fauſta ſibi auſpicia ſumeret Oratio illa, quæ tota eſt de S. PETRI CATHEDRA in qua Te ipſum præclaris doctrinæ, aliarumque virtutum meritis tamquam Summum Paſtorem divinitus conſtitutum tota Eccleſia admiratur? Me denique incredibilis benignitas Tua confirmavit, qua licet

in Summo Pontificatu graviſſimis totius Catholici Orbis curis diſtentus quemque ad Te accedentem clementiſſima humanitate excipis, & recreas. Accipe igitur, obſecro, tenue hoc obſequentiſſimi animi mei argumentum, meque in Tuum ſuſcipe patrocinium, dum Tuis pedibus provolutus omnium Chriſtianorum votis mea adjungens D. O. M. precor, obteſtorque, ut diu SANCTITATEM TUAM totius Eccleſiæ utilitati ſervet incolumem.

ORATIO.

QUum illud certiſſimum ſit, BEATISSIME PATER, quæcumque in veteri Lege fierent, omnia in figura eorum contigiſſe, quæ in nova futura erant, ut novo inito fœdere lex utraque fidem ſibi invicem conciliaret: nemini profecto dubium eſſe poteſt, quin hæc ipſa Divi Petri Cathedra, cujus ſolemnitas hodierna die nedum ab Urbe Roma, ſed ab univerſo Catholico Orbe religioſiſſimè celebratur, præſtantiſſimo aliquo oſtento in illa fuerit præmonſtrata. Verum inter cæteras imagines, quibus Sacroſanctà hæc Cathedra potuit præſignari, nulla profecto alia auguſtiſſimæ Sedi Chriſti in terris Vicarii ſeu dignitate, ſive virtute magis convenire videtur, quam Columna illa Nubis, & Ignis, quæ ex *Ægypto* exeunti Hæbreo Populo ita divinitus adfuit, ut eum per profundum æquor, perque deſerta, & plena periculorum loca ad Promiſſionis Terram feliciſſime traduxerit. Quamobrem ſi figura, quantavis excellentia prædita, longe tamen prototypo ipſo minor æſtimari debet, quum illi etiam non ſecus ac umbra corpori, ſplendorem, ac claritatem addere videatur: rem non indignam hodierna celebritate me facturum arbitratus ſum, ſi ab hujuſmodi figurà meæ laudationis ſumerem argumentum, neque aliunde Ròmanam S. Petri Cathedram, quam a mirifica illa antiqui Fœderis Columna pro ingenii tenuitate commendarem.

Fracta

Fracta demum, divina manu ultrice, impiiſſimi Pharaonis pervicacia, ſolutiſque vinculis teterrimæ ſervitutis, qua tamdiu Hebræus Populus fuerat oppreſſus, liber tandem ingenti omnium gratulatione evaſerat. Sed antequam Deſertum illud ingrederetur, in quo immenſa pene & loci æqualitas, & arenæ copia omne veſtigium viatoribus, & evadendi facultatem auferebat, ſtatim miram prorſus, ac prodigioſam Columnam omnium oculis conſpiciendam extulit Deus, quæ diu nubis ad inſtar, noctu autem velut ſulgentiſſimus ignis innumeræ multitudini præfulgeret, & tanquam itineris dux univerſis Iſraeliticis Tribubus anteiret. Jam vero ſicut in iſto populo Eccleſiam, ecquis S. Petri Cathedram in illa Columna non agnoſcit divinitus præmonſtratam, quæ ut eſſet in omnium oculis, Romæ eſt collocata tanquam Columna, & firmamentum veritatis (1), utque ab eadem facilius veræ Religionis lumen acciperent, cui primum tanquam Orbis dominæ ſuperiori ſane, ac ſapientiſſimo conſilio tot, tamque diverſæ gentes iiſdem legibus, & uno, eodemque imperio manſuefactæ probe noverant obtemperare. Ut enim ait S. Leo (2) ad arcem Romani deſtinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalute, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus diffunderet. Quæ uſquam gentes ignorarent, quæ Roma didiciſſet?

Longum, atque obliquum iter per illud Deſertum Hebræi habuere, quo, divina ſic diſponente Providentia, quadraginta annorum ſpatio detenti ſunt: plura interim, & gravia fuerunt ingrati Populi ſcelera, & divinæ legis violationes, de quibus omnibus varias Deus, atque arcerbiſſimas pœnas ſumpſit. At nihilominus Columnam nubis, & ignis numquam, priuſquam in Promiſſionis terram ingrederentur, abſtulit, nec tam infauſta dies illuxit, aut nox ulla ceſſit tam atra, qua eadem ubique ſingulorum oculis perſpicue ſe non exhiberet, ſuaque luce ubi, & quamdiu conſiſterentne, an ultra progrederentur tuto non confirmaret (3). Hoc idem de vera

(1) 2. Tim. 3. 15. (2) Serm. 1. de SS. Apoſt. Pet. & Paul.

(3) *Nunquam defuit Columna Nubis per diem, nec Columna Ignis per noctem coram Populo. Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam.* Exod. 13. 21. 22.

vera hac Columna , Romana ſcilicet S. Petri Cathedra dici poteſt , quam veluti ad viam omnibus fidelibus oſtendendam , qui per totum terrarum Orbem diffuſi Eccleſiam ſuam conſtituerent , in hac celeberrimi imperii arce Deo placuit collocare . Quid autem de ejus firmitate referam , quæ jam nunc ſupra decem abhinc , & ſeptem ſæculis conſtans ſemper , atque illuſtrior perſeverat ? Inferorum quidem Poteſtatibus ſuccubuere paſſim aliæ Cathedræ , quæ alibi fuerant tum Hyeroſolimis , tum Alexandriæ , tum Epheſi , aliiſque in locis ab Apoſtolis conſtitutæ , tum denique etiam Antiochena illa , quæ eundem Apoſtolorum Principem ibi peragrantem noverat auctorem , ab impietate ſubverſa eſt ; ſed omnis divinæ omnipotentiæ vis illic ſe converterat , ubi totum terrenæ poteſtatis robur dominabatur . Romani Imperatores , quorum virtuti tantum fama ipſa contulerat , ut ad extremum non amplius bello , & armis , ſed ſolo nomine perterritos invictos Reges ſibi ultro obtemperantes viderent , nil intentatum reliquerunt , quo S. Petri Cathedram everterent , & exterminarent , ſed ipſa civium ſuorum , ſummorumque Pontificum ſanguine conſperſa de ipſis victoriam reportavit , & licet oppugnata ſemper firmior , atque conſtantior latius veræ Religionis lucem diffudit , quam Cæſares ipſi imperarent . Sublata vi , teterrimæ Hæreſum , & Schiſmatum procellæ contra hanc validiſſimam veritatis Columnam , ad quam perfidia nullum habere poteſt acceſſum (1) irrito prorſus conatu caput extulerunt , & quotquot inpoſterum a tenebrarum Principe excitentur , omnium erit una victoria , in ipſoſque Cathedræ hoſtes converſo telo ad majus ipſius firmamentum tantum afferent , ut infallibile Chriſti promiſſum de Romana Cathedra uſque ad ſæculorum conſummationem impleatur (2) .

Columnam illam Nubis , & Ignis cum pro certo , compertoque ſinguli ex Hebræo Populo haberent divinitus ſibi fuiſſe conceſſam , ut ejus veſtigia ſequerentur , quotquot ad Promiſſionis Terram , quam unam in votis habebant , vellent pervenire , nemo unus ex prope immenſa illa gentis multitudi-

(1) S.Cyp. Ep.55.
(2) *Et portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam* . Matt.16.18.

tudine actiones, motuſque ſuos niſi ex illa componebat, ac prout illa vel ſtabat, vel movebatur nec noctu, nec diu ullum tanti momenti impedimentum eſſe poterat, quo minus & ipſi illico vel conſiſterent, vel ambularent. Intendebant in eam omnes oculorum aciem, eamque Sacerdotes Populo, matres filiis, amicus amico digito demonſtrabant, nec quiſquam ex electo illo Populo vel dextrorſum a ſignato itinere deflexiſſet, vel ſiniſtrorſum, quin omnibus perſuaſum eſſet eum turpiter allucinari, & in propriam perniciem properare. Ecquid aliud de S. Petri Cathedra ſemper Eccleſia ſenſit, aut SS. Patres Fidelibus tradiderunt, niſi de electorum numero, inter Eccleſiæ membra, & cum Chriſto eſſe non poſſe, qui hanc ſibi pro duce non conſtitueret, eamque unam veritatis ſedem, & unitatis caput in Fide, & in moribus coſtanter teneret, & amplecteretur? Nam, ut ajebat S. Cyprianus, a vero prorſus judicio aberrat, atque ſe ipſum plane decipit, qui Cathedram Petri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, & in Eccleſia eſſe confidit (1), nam ubi Petrus ibi Eccleſia eſt (2), ita nos docente S. Ambroſio. Maximus ipſe Eccleſiæ Doctor Hieronymus ſe latere aſſeverabat, quam ſanam doctrinam ſequeretur, quamque tutam ſalutis viam teneret, niſi hujuſce Cathedræ luce confirmatus hanc ipſam magiſtram, & ducem haberet: In tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat: ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt (3): Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens Cathedræ Petri communione conſocior (4). Hæc tandem eſt illa Cathedra, ſine qua nulla Eccleſia, nullus Fidelium cætus procul ab errore, & a perditionis via eſſe poteſt; ad hanc enim, inquit S. Ireneus, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique Fideles (5).

Candida lux illa a Nube diffuſa Hebræos vel ad moram, vel ad iter unice poterat determinare: hæc pariter Cathedra, ut cæteras rejiciamus, una vera miraculorum luce enitet, quæ tanta

(1) De Unit. Eccleſ.
(2) In Pſal.10. n.30.
(3) Epiſtola 16.
(4) Epiſt.15.
(5) Lib.3. cont. Hæreſ. c.3.

tanta eſt, ut ipſas Infidelium tenebras, niſi ſibi conſulto oculos occluderent, illuſtraret. Noctu haud aliter, quam ignei illius globi ſplendore ſingulæ ſe Tribus moderabantur. Hoc idem Romanæ Cathedræ ſingulare eſt privilegium, ut tribus hiſce propriis Unitatis, Miraculorum, & Sanctitatis characteribus diſtincta tutam Fidelibus viam, quam ſequantur, oſtendat, nec ab ea deflectere quiſquam poſſit, quin hoc ipſo a veræ Eccleſiæ corpore è veſtigio abſcindatur: Negare, ſic S. Optatus adverſarium ſuum urgebat, non potes ſcire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam Schiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret (1).

Populi ſui felicitati proſpiciens Deus non viam ſolum aperire ei Columna voluit, quæ ante omnium oculos obverſaretur, ſed etiam ipſe quandoque in illa deſcendit, & ſciſcitanti Populo diſtincta voce reſpondit, ne poſtquam de itinere certiores feciſſet, aliis in rebus haud parvi momenti divinam voluntatem compertam non haberent: In Columna Nubis loquebatur ad eos (2): Deſcendit Deus in Columna Nubis (3). En denique iſtius Cathedræ apicem, en auguſtum Vaticani Oraculum mire expreſſum, quod divino afflante ſpiritu pronunciatum nullus eſt in Orbe locus, nulla tam diſſita regio, ad quam non perveniat, tantamque vim apud eam obtineat, quanta ad continendos Chriſtianæ Reipublicæ Cives in Fide, religione, & officio eſt neceſſaria. Hæc eſt illa, ſuper quam Deus ore Petri, ejuſque Succeſſorum ſententia ſua omnibus Fidei, & morum quæſtionibus finem imponit, ſupremumque de eis ab omni prorſus errore alienum judicium promulgat; Petrus enim in ſuis Succeſſoribus vivet, ſemper in ſua Cathedra loquetur. Id Patres dicunt, id ſexcenti, & triginta Epiſcopi in Chalcedonenſi Synodo confirmant.

Quamobrem quum tot, & tam præclara Apoſtolicæ Cathedræ ornamenta tantis retro ſæculis in Columnæ Symbolo præmonſtrata eſſe videantur, eaque non manifeſtanda adhuc, ſed perfe-

(1) Lib.7. in Parmen. c.3. (2) Pſal.98. 7. (3) Numer.12. 5.

perfectiſſime impleta , convenientibus utriuſque Fœderis teſtimoniis conſpiciamus, quidnam aliud ad hodiernam celebritatem utiliter abſolvendam reliquum eſſe poteſt, niſi inclyto Apoſtolorum Principi Petro , pro cujus Fidei conſtantia efficacius Verbum æternum oravit , qui hanc ipſam , quam veneramur Cathedram inter nos ſtabilivit , effuſis precibus ſupplicari, ut ejus lux longius , latiuſque ſemper protendatur , noſque, quos filios voluit, eam ſtudio, & veneratione in hac temporum iniquitate proſequamur , cæteris verò , qui ejus hoſtes eſſe animo obſtinant, metum terroremque incutiat ſempiternum .